

Bibliothèque numérique

medic@

**Valentin, Antoine-Louis - candidat /
Garre, Claude-François - président. -
De ossis exsuperantiâ post femoris
amputationem**

1763.


***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2342, n°88



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0088](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0088)



THESES

ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ

Quas DEO JUVANTE, & Præside M. CLAUDIO-FRANSISCO GARRE, Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, Regiæ Chirurgorum Academiae Socio, nec non Consiliario Chirurgo Regis ordinario, tueri conabitur ANTONIUS - LUDOVICUS VALENTIN, Angeriaci, in almâ Universitate Parisiensi Liberalium Artium Magister.

*De Jean
D'Angeli
ou Laiton*

P A R I S I I S.

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;

*Die Sabbati 26 Februarii à sesqui secundâ post meridiem ad septimam.
Anno R. S. H. 1763.*

PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.



Typis P. A. L. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. DCC. LXIII.

T H E S E
ANATOMICA ET CHIRURGICA

Quam Prolegant, S. Thome M. CLAUDI
FRANCISCO CARRE, Anatum Professor
Chirurgie Magistro, Regni Chirurgiae Academiæ
Sociæ, nec non Collegio Chirurgiæ Regiæ ordinario,
interceptorum Auditorum - Auditorum Professor, An-
atomie et Chirurgiæ Magistro, et Chirurgiæ Regiæ
Magistro.

P A R T I S I I
IN REGNIS CHIRURGICORUM SCIENTIIS
DE Ossis exsuperantiâ post femoris amputationem.

PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREÆ



Typis P. A. L. P. R. I. V. A., Regni Chirurgiæ Collegii
Typographi.

M. D. C. C. L. X. I. I.

3
pudendam & deniquè cruralem, quæ divisionem duplicis trunci patitur, externi scilicèt minoris & interni majoris, ex quo popliteæ, furales ac tibiales, aliique ramusculi, nullo nomine insigniti, ducunt originem.

VENÆ, exceptâ saphenâ, idem ac arteriæ sociæ nomen obtinent.

NERVUS cruralis anterior, tertio, quarto & quinto, quandoque priori & secundo pari lumbari formatur, ab illoque trunco, psoæ & iliaco fibræ impertiuntur; ipsius pelvi ab exitu plurimi nascuntur rami, & glandulas inguinales, musculosque proximos, præsertim tricipitem, pectineum, sartorium, crurisque extensores penetrantes, ramulus verò sartorium sequitur, ad tibiâque perventus saphenam concomitatur, ab illâque propè malleolum internum recedens, parti pedis anteriori distribuitur. Nervus sciaticus, major vocatus, ex quinto lumbari & ramo quarti, primo, secundo, tertio & quarto pari ossis sacri componitur & è pelvi per incisuram ischiaticam egressus inter tuberositatem ischii trochanteremque majorem, per crus totum, pedem, ad digitos usque distribuitur.

EXCHIRURGIA.

AQUACUMQUE causa post amputationem pendeat ossis ex-superantia, sive ex retractione musculorum, tumefactione, suppuratione, seu à primariis vincturis, sive tandem à situ partis; nihilominus certum est etiam adhibitis curis, operationeque peractâ, juxtâ veterum, recentiorumque Authorum regulas, os sæpius ad plurimorum digitorum distantiam carnes superare; nobis ideo inquirendum proponimus, utrum à Natura, cum nullo modo huic intenta videatur, curatio perditur, sæpiusque non adventura, sit expectanda, an à causticis, aut ferra pars ossis carnes excedens auferenda sit. Et si veteres Chirurghi ossis super eminentiam edocuerit ab illis usitatissima Cauterorum actualium applicatio ut patet ex nostro Ambrosio Pareo (1), qui de modis sanguinem sistendi post amputationem disserens, cauteria rejicit, tum ex eo quod ossis denudationem inferre, tum quia cicatricem impedire valeant.

(1) Lib. XII. De Contusionibus cap. XXXV.

nullam tamen de ossis femoris post amputationem exsuperantia mentionem ab illis speciatim factam fuisse constat, mirum sanè ; cum suos ut proprios usus, ità & particularem curandi modum habeat hæc exsuperantia. Quot & quanta pariat incommoda ossis ultrà carnes processus, nullum Chirurgum fugit : indèque eruitur ossis denudati refecandi necessitas, siyè pars ossis musculorum extremitates excedens, integra denudetur, siyè carnis furculis operiatur, in utroque enim casu infausta sit curatio ; nimirum, aut ulcere succedente cicatrix imperfecta, aut extremitas conica, aut tandem denudatum os remanet ; ossa etenim, inquit Bartholomæus Maggius (1) *carne circumquaque denudata, nunquàm rursus carne conteguntur* ; sicque membro mechanicæ arte factò privatur, aut saltè non nisi maxima cum cautione, frequentissimisque membri mutilati extremitatis dilacerationibus uti potest æger ; difficilis exindè fit incessus. Cum verò Chirurgia, non tantum vitæ conservationi, imò & commoditati intendit, istis incommodis occurrere debet ; media idcirco quibus hæc removeri queant inquirere sat agimus.

PORRO dicimus os iterum ferrà refecandum esse, ut facilius succedat curatio, graviusque ossis denudationem consequentia præcaveantur incommoda. Si enim naturæ rem committimus multum temporis absument cicatrix ; *quod quidem ægros valdè debilitat, plurimos que conficit*, (2) quando autem extremitas membri, etiam cicatrice obducta, conica remanet, debile tunc corpori præbet fulcrum, sicque progressionem facili, dulcissimo vitæ bono defraudatur æger. Minimè autem causticis, ossis ultrà carnes protensi, tentanda separatio, cum non nisi post longum temporis spatium, caustica etiam validiora ossis Femoris defecati cylindrum valeant consumere, ut concludere licet ex observatione Domini Allouel, (3) qui per plures dies, adhibitâ ossi Femoris carnes exsupuranti aquâ mercuriali, ad duas aut tres tantum lineas os illud abrasum fuisse fatetur ; cujusque separationem factam fuisse in parte spongiosa tantum, ad quinque digitorum distantiam, suprâ caustici applicationem. Cur igitur infidis adèd causticis credamus, dum uno instanti, loco que certo, os ferrà refecari queat, sæpissimeque, absque ulla sensibili exfoliatione, curatio perficiatur, quod nunquam à causticis sperandum, in partem enim ossis partis separandæ proximam, sese diffunderet causticum,

(1) De vulneribus sclop.

(2) Heister de Fem. amp. p. 434.

(3) Mem. de l'Acad. de Chir. tom. 2. p. 479.

5
 ea de causa quod pluries scilicet aquæ mercurialis iterandus foret illitus; ut revera necesse fuisset in casu modò enarrato, nisi superius à natura aut à stase critica (quod non temere supponi potest) spongiosa pars ossis à compacta fuisset separata. Hæc autem naturæ energia certè comprobatur observatione Fabricii Hildani, (1) qui partem ossis Femoris ad binos digitos post amputationem ultrà carnes perventam jamjam refecaturus, cum naturam opus molire animadverterit, laudatus author ab operatione abstinuit, os tantum leviter in sequentibus deligationibus succussit, & elapsis quinque diebus, absque dolore & sanguinis effusione, partem Femoris quinque digitis longam extraxit; Cujus partis extractæ figura ab authore delineata spongiosam ossis substantiam compactâ superius separatam fuisse demonstrat; nec naturæ vi curationem tribuere dubitavit Hildanus. Nobis oculatissimi hujusce viri vestigiis insistentibus, liceat curationem à Magistro Allouel relata, naturæ viribus adscribere, non caustico, ne dum opinemur, aquam mercurialem, veluti aqua communis spongiæ poros, substantiæ ossis spongiosæ poros pervadis, & effectum suum in hanc substantiam edidisse, quinque digitos ultrà locum ubi fuerat aspersa. Hæc enim naturæ & qualitatibus aquæ mercurialis minimè congruit opinio.

Næc tantum inefficacem, semper incertum, verum etiam nocivum in Femoris ex superantia causticorum usum habemus. Quis enim illorum indolem ita noverit, ut horum violentiæ frænum ad arbitrium imponere valeat, si mitiora minor proposito effectus, si corrosiva nimis, easdem in partes edent ruinas, ac cauteria potentialia quibus servandæ destruuntur sæpissimè partes ut, enim optimè adnotavit Pareus (2) *caustica in osse immorando non tantum substantiam ossis separandi imò & humorem substantificum partem proximam ossis extracti opperturam destruunt*. Cum sit semper incertus causticorum effectus, ad ferram tanquam tutius breviusque remedium confugiendum est, præsertim in Femore, carnes post amputationem excedente, non autem antiquis inusitatam suademus methodum, ut patet ex superius allata Hildani observatione & confirmatur Bartolomei Maggii (3) suffragio, qui sic de ossibus detectis scripsit. *Si ossa excidere coactus fueris ut eodem tempore ossa detegas & incidas operam dabis, aut saltem in sequenti die*

(1) Cent. 4. Obs. 91.

(2) Lib. XVIII. Chap. XXXIV.

(3) De vulneribus sclop.

id efficies antequam oriatur inflammatio; nec audiendi sunt qui osse nudato tertium expectant diem, deinde illud excidunt, QUOD SI COMMODE EXIDI OS NON POTERIT, nostra aqua forti madefacies sæpius.

Ex præmissis abunde demonstratur, nullam tutiorem, neque certiore ad auferendam quæ post Femoris amputationem superest ossis protuberantiam, adhiberi posse methodum eâ quâ os ferrâ refecatur, illud igitur nobis tantum superest inquirendum quod à nullo antea authore nobis cognito fuit designatum, quoniam scilicet tempore & loco instituenda sit hæc operatio. Qui primus hanc celebravit, aut saltem scriptis speciatim primus (1) proposuit. Magister Veyret, (2) non nisi duobus & ultra mensibus elapsis post priorem amputationem os refecavit; at procul dubio, non tantum temporis consumpsisset in expectanda, quæ non successit, ossis exfoliatione, nisi cæterorum Chirurgorum super hac re silentio compressa fuisset ingenii ejus solertia, cum vero methodi propositæ utilitatem & præstantiam extrâ dubium omne probaverit ratio, & faustum Magistri Veyret experimentum, os, statim atque cicatrix ad ossis circumferentiam perventa ferrâ iterum esse refecandum, asserere non dubitamus, & si ipsa cicatrix figuram conicam præbeat, tunc ipsius coni partem antea scalpello auferendam, ut Femoris obtuse rotunda obtineatur extremitas, cui arte factum absque membri dilacerationibus alligari possit membrum sicque facilis fiat incessus.

(1) Mémoires de l'Académie de Chirurgie, vol. 2. p. 266.

(2) Diximus merito primus, Observationes enim Magistrorum Morand, Guerin, Thibault, nec scriptis nec dictis antea Domino Veyret notæ fuerant.

